DISSERTATIO INAUGURALIS DE AQUIS SOTERIIS CIRCULI PUSTRISSAE ET...

Joseph Plaseller, Francesco Flarer



DISSERTATIO INAUGURALIS
DE
AQUIS SOTERIIS
CIRCULI PUSTRISSAE ET AD EISACUM
IN COMITATU TIROLENSI

QUAM

CONSENSU MAGNIFICI DOMINI RECTORIS, PERILLUSTRIS FACULTATIS P. DIRECTORIS, SPECTABILIS DECANI NEC NON CL. D. D. PROFESSORUM

AUSPICE


FRANCISCO FLARER

THERAPIAE ET CLINICES OCULARIAE P. O.

UNA CUM ADNEXIS THESIBUS DEFENDENDIS PUBLICAE DISQUISITIONI OFFEREBAT IN C. R. ARCHIGYMNASIO TICINENSI MENSE JANUARII AN. MDCCCXXXVI. LAUREAM MEDICAM ASSECUTURUS

PLASELLER JOSEPHUS

TIROLENSIS BRIXINENSIS.



TICINI REGII.

Ex Typis Fusi et Socii.



Ut igitur aquae medicatae vi, qua ipsae pollent, vitali, vitam humanam adficiant, et ad pristinam saepe integritatem et salutem reducant.

HARTMANN.

MAGNIFICO

ILLUSTRISSIMO AC CELEBERRIMO

DOMINO DOMINO

JOANNI EHRHART

NOBILI AB EHRHARTSTEIN

C. R. AD REGIMEN TIROLIS ET RHÆTO-AUSTRIÆ

CONSILIARIO

PROTOMEDICO EARUMDEM PROVINCIARUM

OPTIME MERITO

DIRECTORI STUDII MEDICO-CHIRURGICI

IN C. R. UNIVERSITATE OENIPONTANA

PLURIUM SOCIETATUM ERUDITARUM

MEMBRO ET SODALI

ETC. ETC. ETC.

VIRO

INGENIO, SCIENTIA ET HUMANITATE

ÆQUE INSIGNI

PIA CUM VENERATIONE

IN

DEBITÆ OBSERVATIONIS

ET GRATITUDINIS PERPETUÆ TESSERAM

PATRIAS HASCE PAGELLAS

DEDICAT

DEVINCTISSIMUS AUCTOR.

PRÖEMIUM.

Quum et more majorum et lege academica sancitum sit, ut quilibet medicinae lauream acquisiturus in scriptorum arenam descendat, ego, huic legi satisfacturus, patriam pro dissertatione selegi materiam, nam patrias res prae aliis novisse mihi semper placuit. Conscripsi igitur tractatulum de *Aquis soteriis Pustrissae*, postquam sedulo collexeram, quae de iis scripta exstant, uti in dissertatione operum citationes demonstrabunt. Prae caeteris vero avunculo meo *Josepho de Vogl*, qui rebus medicis in eodem Circulo Tirolensi praeest, publice gratias quam maximas possum, agendas habeo, quippe qui fervens rerum patriarum fautor, per plures annos in similem finem maximo labore et perspicacia ab ipso congesta benigne mihi excerpenda commisit; unde etiam ejus manuscripta praecipuum fontem praestaverunt, imo nonnunquam unicus fuerunt, ex quo certi aliquid haurire licuit.

Dissertationem in duas dispertii sectiones, quarum prior *generalia*, altera *specialia* aquarum pertractandarum explicet.

Si quis patriae amore ductus huncce tractatulum legat, in eodem voluntatem potius bonam, quam rei expositionem ipsam respiciat, eamque amantis compatriotae magis, quam strenui censoris oculo critico perlustret et dijudicet, quaeso.



SECTIO I.

De aquis soteriis Pustrissae in Genere.

§. 1. Difficile est terram invenire, in qua natura tantam quantitatem aquarum soteriarum in hominis salutem procreaverit, quam in Comitatu Tirolensi, et inter ejus, in quos discedit circulos, illum Pustrissae sat magno donavit numero, licet non omnibus aequalem ad morbos debellandos efficaciam impertiit.

§. 2. Nonnullae aquarum in regionibus sitae sunt, quarum clima beatum tenet medium inter crebribus rigentem nivibus, asperitatem Germaniae, et inter debilitantem Italiae calorem, (cujus finibus Pustrissa una ex parte nectitur), itaque coelo amoenissimo superbiunt; sed natura alias in vallibus abscondidit, montibus, quorum cacumina nubes scindunt, undique cinctis; alias tandem in altis montium rupibus collocavit, quas solummodo alpium filii ascendere audent, et tali modo beneficium, quod ex una parte concessit, ex altera iterum abripuit.

§. 3. Tertio cuilibet milliario quadrato geogr. circa una correspondet aqua soteria, et inter 102,000 incolas circuli plus quam 4000 singulis annis ipsis uti conspicies, cui numero etiam non paucos illos addere oportet, qui ex reliquis Comitatus circulis, aut ex vicino

agro Veneto qualibet aestate salutem recuperaturi adveniunt.

Ne tamen credas, tantum in Pustrissa morborum; quibus aquarum usum suadere solent, exercitum esse, ut omnes malo quodam coacti huc conveniant; non pauci enim, nisi illos excipias, quos misera deprimit paupertas, aquas quotannis visitare consuevere, ut domesticarum obliti curarum, animum laboribus defatigatum, et corpus nocivis domi potestatibus expositum, sub coelo mutato restaurent, et tempus aestivum in laeta, rurali amicorum societate jucunde peragant, id quod de ditioribus oppidorum incolis primitus valet; tandem non desunt, qui in certos morbos dispositi curam prophilacticam ibidem instituere non spernant.

Analysis chemica.

§. 4. Maximam aquarum soteriarum efficaciam plurimis medicorum ex particulis mineralibus, in iis contentis derivare placuit, dantur tamen nonnullae, in quibus Chimicorum ars paucas tantum, aut plane nullas detexit; nihilominus et illarum effectus magni aestimantur. Pluribus Pustrissae aquis partes minerales inhaerere debere, quilibet faciliter concluderet, qui montium tractus, unde scaturiunt, aquarum originem et positionem cognosceret; ita et Chemiae scrutatores diversi aevi easdem analysi chemicae subjecerunt; quilibet pro relativo scientiae coaevae statu educta demonstrans, qua ratione de plurimis quidem qualitativa partium componentium relatio, innotescit, dum quantitativa pro dolor! adhuc in votis est.

Knoering et Abmayr (1) inter seculi elapsi initiantis medicos Pustrissae, serius D. Professores de Crantz Viennae et Menghin Oeniponti, seculo currente tandem Professor Schoepfer Oeniponte, et praecipue medicus circularis de Vogl Brunopoli earum aquarum analysi operam navarunt.

Licet singulorum analyses non raro dissentiant, in eo tamen omnes conveniunt, plures aquarum P. multo quidem gas acido carbonico aut hydrothionico scatere, pauciori vero quantitate elementorum solidorum donatas esse, quas inter terrae, praecipue acido carbonico, aut sulfurico, aut muriatico nuptae, natrum, kaly, ferrum etc. quadrant.

Virtutes medicae.

§. 5. Chemia duce virtutem aquarum principalem partim esse *solventem*, (Hartmanni ideam de solventibus sequuti) pronunciant, quum hucce acidulas, hydrothionicas et neutras numerem, partim autem *roborantem*, ut in iis est, quae majori ferri quantitate pollent.

Tales virtutes haud parvas inesse, quotidiana medicorum experientia testatur, et morborum familiae, in quibus effectum optimum exserunt, etiam vulgo earum regionum notae sunt, in cujus faucibus variae aquae vario nomine sonant: ita loquuntur de aquis stomachicis, (*Magenwasser*) de antipsoricis (*Kraetzenbad*), de aquis pro articulorum (*Gliederbad*), pro feminarum (*Weiberbad*) morbis et sic porro.

(1) Vide Litteraturam aquar. soter. Pustrissae.

§. 6. Sed neque ullum latet, optima quoque remedia magnum organismo damnum adferre posse, si non ad nutum naturae, sed perverso modo adhibentur; ita et de hisce aquis dicendum venit; nam saepius videre licet, quod aegri nullo medico adnuente, sua sponte, fontem thermalem pro cura sibi eligant, quem natura mali abhorrere jubet; imo non tam infrequenter medici ipsi, aquam aliquam ex vulgi relationibus tantum noscentes (quin, ne quibus chemicis aut dynamicis polleat viribus, ne clima, in quo scaturit, nec caeteras circumstantias individui morbo secundas adversasve sciant), aegrotantibus usum aquae suadent, ex qua salutis loco morbum graviorem aut mortem ipsam hauriunt.

Hinc aquarum descriptioni praeter morbos, in quibus indicatae bene conducant, adjungendi erunt, in quibus minus conveniant, aut penitus fugiendae sint.

Modus applicationis.

§. 7. Aquarum usum internum in genere externus longe superat, quem in finem ipsae, priusquam ad balnea adhibeantur, quum plurimae sint frigidissimae (Brennenses solae calore gaudeant tepido), arte calefiant necesse est, et tunc pro medici curantis praecepto, aut advenae voluntate aqua frigida calefactae debita quantitate admiscetur a balneatoribus.

Forma solita, sub qua aquis externe utuntur, illa semicupii est, et ad hoc usque tempus unicum Agunti exstat exemplum, quod sulfurem sub forma vaporis adhibeant.

§. 8. Antiquo more receptum est, balneorum usum intra duarum triumve ad summum hebdomadum ciclum

absolvere, nisi medico ordinario aliter placuerit, et quodsi Psydakriam thermalem cutis superficiem deturpare animadvertunt, tum balnea continuare soliti sunt, usque dum exanthema aut omnino evanescit, aut saltem pallescit.

Anni Tempus.

§. 9. Quum aliquot aquarum mineralium P. positio coelo minus dulci gaudeant, nonnullae imo asperiori climate premantur, ab Idibus Maji circiter ad mensem Septembrem versus finem vergentem usque usus restringitur, nisi nonnullis vicibus praecox et durus autumnus, aquarum salubrium Nymphis adversus, frigore intensiori et nivibus praemissis brevem truncat aestatem, et hospites cunctos hibernas domus petere cogit.

Thermodochia.

§. 10. Aut penes fontium originem, aut tamen iisdem vicina in plurimis locis thermodochia (*Badehaüser*) erexerunt, quorum pars major hucusque inferioris tantum notae habenda est. — Ubi tam aegrorum quam reliquorum hospitum major concursus fit, ibi quidem illa aedificia plurimis instructa sunt commodis, quae in ejusmodi locis expectantur; ubi vero minus locupletes, et aegri sortis inferioris ad nymphas aquarum beneficas confugiunt, ibi pauca advenae commoda arrident. Ecce enim: in tot eorum nil conspicis, nisi tectum, quo aegri contra imbres et frigus ex improviso ortum defenduntur, nec non focos (*Herde*) communes, quibus singulae advenarum familiae ad cibos coquendos utuntur, tandem lignea in cellis ligneis dolia, quibus singuli insidentes lavantur.

§. 11. Si causas inquisieris, quare tot Thermodochiorum iis aliarum regionum superentur, has partim in illis, quae jam dicta fuerunt, i. e. in aegrorum paupertate invenies; partim in eorum simplici vitae ratione, quippe qui intra montium catenas reclusi, pauca commoda noscentes, paucis contenti vivunt; partim tandem in cauponum aut angustia rerum familiarium, aut in eorum industria minori, aut in intelligentia nimis angusta reconditas esse illucebit.

Oblectamenta.

§. 12. In nonnullis locis, uti exposui, ad hospites adliciendos varia oblectamentorum genera introducta fuerunt; sed paucis hisce exceptis facile intellectu est, quod in reliquis versantes, si tempus et clima favent, sub divo ambulando in naturae sinu voluptatem quaerere debeant; quod sin minus illis solummodo gaudiis frui possint, quas vita adfert familiaris. Hinc viros ordinis inferioris, conorum aut chartarum lusu oblectari conspicies, dum feminae, ut in toto orbe terrarum videre est, garrulae, nugarum ennarrationibus occupatae, aut de rebus domesticis disputantes, et muliebribus incumbentes laboribus, tempus terunt, quod a cibis parandis et balneis iis superest.

Modus vivendi.

§. 13. Restat adhuc, ut pauca de modo vivendi et de diaeta ibidem observata dicantur, non uti esse deberent, sed uti sunt.

Hora matutina, qua aest'vo tempore aurora dormientes salutat, aegrotantes Morphei amplexus fugiunt,

et unus potu arabico, alter jusculo tenui, pro cujusque facultatibus, restaurati, in aquas salutiferas, doliis immissas, inscendunt; post moram convenientem iterum lectum petunt, ubi per horae unius spatium circiter stragulis tecti cutis transpirationem adauctam fovent, dein cutem madefactam siccari sinunt. — Deambulatio aut lusus ad prandium usque ditioribus tempus adimit, dum qui rerum domesticarum angustia premuntur, parcis cibis sibi ipsis parandis horas consumunt. Hora una alterave, quieti dicata, post prandium elapsa, cuncti aquas repetunt, ac dein post solis occasum pauco temporis intervallo lectum quaerunt, ut die insequente hora solita expergiscantur.

§. 14. Quid demum de cibis, quid de potu aegrotantium dicendum erit? — Paucis aqua sufficit, pater Liaeus majori aegrorum parti magis cordi est, et pro dolor! tot eorum plus ipsi indulgent, quam saluti confert, tot alii autem vinum hauriunt, quibus natura morbi et medici monitis interdicitur. (Adnotandum caeterum est, caupones vina tirolensia notae melioris et sincera porrigere.)

Quoad victum non raro accidit, ut cibi semicocti aut nimis crassi (qui praecipue montium incolis et genti rusticae solennes sunt), turbas haud parvas in systemate gastrico aegrorum producant, quas tamen aquae soteriae usui potius, quam cibis incongruis adscribere vulgò lubet.

§. 15. Quum medici proprii hisce aquis inspicientes non adsint, sed plerumque tantum ex locis vicinis advocari debeant, phlebotomorum cohors ex talibus tubi gastrici affectionibus maximum haurit lucrum, quippe quae emeticorum et praecipue purgantium usu daemonem

gastricum exorzisat. Pejus adhuc, ubi etiam illa gens deficit; tum enim balneatores et caupones ipsi, remedia arcana, quae omnibus malis medeantur, et pillulas, quas inter ultimis temporibus pillulae Brerae florebant, vendere audent, talique ratione intestina non raro nimis emulgent, et diarrhoeas haud indifferentes, aliaque mala provocant.

Dilucidatis tali modo, quae de aquis soteriis Pustrissae in genere dicenda erant, transeo modo ad singularum expositionem specialem, alteram dissertationis sectionem.

SECTIO II.

De aquis soteriis Pustrissae speciatim.

Priusquam ad singularium aquarum descriptionem memet accingam, earum divisionem scientificam proponere opporteret, et, quae juxta compositionem chemicam composita esset, prae caeteris mihi arrideret; sed talem mente moliens magnam, qua premitur difficultate, imo ipsius impossibilitatem cognovi, quum paucissimae earum quantitative examinatae sint; illae vero, quarum compositionem quantitativam ante oculos habeo, a diversis auctoribus diversis substantiis mineralibus praegnae describuntur, sed neque de earum virtutibus singuli auctores consentiunt, unde optime consultum censui, in enumerandis eum ordinem sequi, quo Avunculus meus in manuscriptis suis utitur, eo scilicet, quo, geographico-politice ab oriente occidentem versus progrediendo, singulae C. R. praeturae sese excipiunt.

Positio aquarum, proprietates physicae, chemicae, virtutes medicae, morbi, in quibus adhibentur, et medius aegrorum numerus iisdem quotannis utentium adducantur, quoad pro cognitionibus de iis acceptis possibile erit.

I. *Praetura Leontina.*

Der Jungbrunnen. Unicus, sed eo efficacior, quo haec praetura superbit, fons, in regione amoena, horam unam Leontio (*Lienz*) distante, medias inter arbores sylvestres ex terra calcarea arenosae mixta, sat fortibus et strepitose spumantibus aquis scaturit, duobus ab hinc seculis jam jam cognitus, aegros ad sese invitat. Praeterea hicce locorum amoena planities cum monte alternans, gratis tecto sylvis, ambulantem oblectatur, Flora haud mediocris Botanici oculos in se convertit, Pinorum gratae exhalationes debilem restaurant. Sed, quos natura in climate reliquis mitiori ibidem posuit, delicias, eas oblectamenta et commoda, in thermodochio, penes fontem stylo moderno extructo, haurienda, oppidique Leontii vicinitas adaugent.

Aqua hujusdem fontis thermometri hydrargyrum multum deprimit, clarissima, pellucida, gustatum nullo modo afficiens, ponderis specifici levioris, potum simul praebet gratum et temperantem.

Prof. Crantz (1) Viennae in ipsa quidquam terrae calcareae et ferratae, salis culinaris paucam quantitatem, detexit; aliorum experimentis chemicis in ea gas acidi carbonici sat magnam quantitatem, Kaly minerale, nitra-

(1) Vide Litteraturam.

tem potassae et terram calcaream finissimam invenire contigit.

Vis roborans et solvens, quae praecipue in digestionis fabricam agit, comedendi cupidinem auget, eidem magnam acquisivit laudem. Praeterea urinae secretioni augendae favet, lithiasi laborantibus bene conducit; seniculi tandem, aliique, quos torpor vitalis ingreditur, qui restauratione virium generali opus habent, ex usu aquae hujusce mirifice sese rehabent, et tali ratione ad ducentos usque salutem hic quaerentium numerus singulis annis ascendit.

II. *Praetura Sillianensis.*

2. *Abfalterbach*, aqua antipsorica, (*Kraetzenbad*) nomine, quo vulgo insignitur jam generatim indicat, contra cujus indolis morbos pugnet, nec difficile est conjicere, quonam principio salutifero praegna sit. Terra calcarea, selenites, quidquam salis Glauberi cum pauxillo gas acidi carbonici et sulfur chemicam ejus compositionem constituunt. Usus ejus ad impetigines, psoram praecipue, et ad ulcera chronica restringitur.

Inter 200 circiter, qui mensibus aestivis ibidem commorantur, pauperiores ipsi sibi cibos et cuncta parant, dum ditiores in pago vicino pro vita necessaria et commoda nonnulla inveniunt.

3. Haud procul a foro *Sillian* paucos ante annos novus detectus fuit fons, qui aquam largitur levem, acido-astringentem in lingua saporem producentem. Prof. Schoepfer Oeniponte aquam, chemicis tractatam reagentibus, in quatuor libris p. C. gas hydrothionici pollices cubicos 3, 38,

calcis sulfuricae gr. 4,
— carbonicae gr. 0, 26,
magnesiae carbonicae gr. 0, 7,
ferri carbonici paucissimam quantitatem continere affert, quum econtra experimenta a de Vogl ad fontis originem ipsam instituta majorem *ferri* quantitatem adesse comprobant.

Hisce aquis vim adscribunt incitantem, roborantem, solventem; organis digestionis praecipue robur addit debilibus, unde etiam ab incolis fori Sillianiensis frequenter, tam in eorum familiis, quam in diversoriis bibitur. Huic regioni tali aqua revera opus est, quum accolae vicinarum paludum, quae pro magna parte adhuc exsiccandae sunt, exhalationibus nocivis multum debilitantur, neque alius fons bonam fundit aquam pro potu.

Externe pro fomentis calidis adhibita, in ulceribus chronicis, contra quodcunque tractamen rebellibus, maxime salutarem sese praestavit.

4. *Aquae Inticenses.* Natura in valle foro Inticae (*Aguntum*, *Innichen*) vicina, aquis soteriis provocandis prodigior erat, quam in aliis locis, uti singulas enumerando videbimus. Quae ex collis, aquas fundentis, parte occidentali derivat, limpida, ova putrescentia redolet, saporem salsum, ingratum in lingua producit, maxima quantitate acidi hydro-thionici gaudet: altera meridiem versus scaturiens, sub nomine aquae cupratae (*Kupferwasser*) innotescit; tertia ex oriente profluens nomen aquae stomachicae (*Magenwasser*) sortita est; quarta denique aqua ophthalmica (*Augenwasser*) appellatur, omnium limpidissima; quinta non nisi pro cibis coquendis adhibetur.

In opere Crantzii chemicam compositionem primorum trium fontium eam esse invenimus, ut quilibet, diversa tamen ratione, uno alterove principio magis praeponderante, spiritum sulfuris volatilem, salem selenitatum, salem Glauberi, terram calcaream et partes ferreas contineat.

Aqua prima seu sulfurica dicta, majorem quantitatem particularum mineralium, quam secunda, solutas gerit; tertia e contra omnis, quo priores notantur, odoris sulfurei expers, non, ut illae pro balneis solummodo, sed et interne adhibetur, et appetitum ciborum valdopere ciere dicitur.

Virtus excitans solvens magnam aquae 1. et 2. promeruit famam in tumoribus chronicis, indurationibus, ulceribus inveteratis; in cacodermatibus variis; in diathesi rheumatica et arthritica; in morbis systematis uterini ex debilitate et relaxatione membranae ejus mucosae: in blennorrhoea urethrae, vaginae, uteri; tertia autem, roborante vi gaudens, in digestionis languore, impotentia virili, vitae tenore universali infracto mirifice agit, dum ex unione omnium trium solatium maximum pro *haemorrhoidariis* exsurgit, quibus eam *specifice* malorum levamen adferre dicunt.

Non multis abhinc annis supra fontem sulfuricum tugurium pro balneis sulfuris vaporum exstruxerunt, quod tamen hucusque, suppellectile minus adaptato, scopo praefixo minus respondet.

Aquam tandem ophthalmicam, quam praxis adstringentibus donatam viribus demonstravit, quin vero chemica experimenta adhucdum instituta fuerint, in variis oculorum morbis pro collyrio, et in angina aquosa pro gargarismate adhibent.

Numerus eorum, qui singulis annis hic conveniunt, inter quinque et sexcentos variare solet.

5. *Acidulae ferratae.* Ubi aditus, in vallem supra dictam conducens patet, ex veterum relationibus constat, antiquis temporibus aquam mineralem acidulam ferratam originem habuisse; quibus innixus Pharmacopola Inticensis Stapf eodem loco in terrae viscera penetrare nitens, felici coronabatur exitu; quum fontem invenerit, qui juxta analysim chemicam D. Professoris Oenipontani Schoepfer in 500 aquae ejusdem unciis unciam unam et gr. 37 salium continet i. e. magnesiam sulfuricam cum pauca acidi muriatici quantitate; terrae calcareae gr. 161

calcis carbonicae gr. 122
terrae siliciae gr. 16
calcis sulfuricae gr. 221
oxydi ferri gr. 3
salis siccati gr. 517
resid. acid. carb. gr. 5

Aqua haec frequenter bibitur et effectus sat bonos in viscerum abdominalium obstructione, hypochondriasi, hysteriasi etc. exerit, imo non desunt medici, qui eam cum Pyrmontanis compareant.

6. *Moos.* In valle *Sexten*, cui et nomen vallis *Josephat* tribuerunt, duo fontes originem suum trahunt, supra maris mediterranei superficiem 4200 pedibus elevati. Quorum prior aquam praestat, pro potu sat bonam, sed plerumque sub balneorum forma adhibitam, nonnullis gas acidi carbonici nec non sulfatis sodae particulis praegnam.

In virium digerentium debilitate aliquas sibi acquisivit laudes, unde et *aqua stomachica* audit. Alter,

partes sulfuricas continens, nonnisi qua balneum in cacodermatibus et ulceribus chronicis in usu est. Hujus et vicinarum vallium incolae soli, centum ad ducentos usque singulis annis ex iisdem aquis salutem quaerunt.

III. *Praetura Welsbergensis.*

7. *Aqua Majestatis*, (*Maystadt*) multis aliis ejusdem provinciae palmam abripit. Plura ante secula detecta, pago *Niederdorf* vicina, in regione amoenissima, montuosa ex rupe scaturit, per tubos ligneos ad propinquum thermadochium dirigitur.

Aqua limpida, frigida, quidquam acidula, sitim grate fallit, pro potu aeque ac pro balneis utilis; jam Crantz monuit, usum internum aquae frigidae praeferendum esse, quum, si arte calefit, acidum in ipsa contentum avolat, et caput mortuum inefficax relinquit.

Prima analysis chemica apud medicum Brunopolitanum Knoering exstat, (1709) sed ipsa alchymiam redolet, nec certi aliquid indicat; Prof. Crantz vero in hac aqua spiritum mineralem acidum, (*acid. carb.*) ferrum sulfuricum, terram ferratam, quidquam terrae calcareae et aequalem sulfatis magnesiae quantitatem invenit, et Doct. E. Osann ipsam terris carbonicis et multo gas acido carbonico praegnam enuntiat. Summa partium mineraliam vero tam exigua est, ut liquidi libra una vix granulum unum integrum recondat.

Nihilo tamen secius non solum per universam Pustrissam, sed per omnem Tirolim magnis encomiatur laudibus, et 500 aut 600 usque et ultra quolibet anno ibidem salutem recuperaturi numerantur. Virtute enim, qua gaudet *roborante*, remedium optimum praebet in

morbis, qui ex debilitate vera dum depresso nisu plastico oriuntur; in annorrexia, dispepsia; in morbis nervosis: cardialgia, hypochondriasi, hysteriasi; in organorum genitalium feminilium torpore et debilitate, praecipue ad *praecavendum abortum.*

Ad tales effectus salutiferos majores reddendos, non parum positio grata sub coelo amoeno et purus montium aer conferre debent. Ex eodem fonte nonnulli praematuram hauserunt mortem, qui nempe nimis debiles, phthysici, aut propriae ignorantiae et imprudentiae poenas ibi luebant, aut qui a medicis rerum ignaris ad salutem recuperandam huc mandati fuerant.

Ultimo demum adnotandum est, quod multi ex aquae Praxensis usu reduces per triduum et ultra ad aquam Majestatis commorantur, ut ipsius usu curae suae finem imponant.

8. *Kohler = Weiher = Weiberbad.* Aqua, notae haud infimae, in locis circumjacentibus famam aliquam adquisivit, sed quum aliis aquis mineralibus, majore efficacia superbis, nimis vicina jacet, nonnisi a feminis ordinis inferioris frequentatur, quarum numerus tamen quotannis ultra 100 adsurgit.

Chemica analysis veterum auri quidqam, illa neotericorum multas aluminis, sulfuris paucas moleculas in aqua eadem invenit. Lingua gustata saporem adstringentem producit, viribus adstringentibus, leniter irritantibus, tonicis correspondentem.

Astheniis generalibus et topicis opponitur in passivis feminarum metrorrhagiis, in sterilitate ob debilitatem localem, in leucorrhoea; in haemorrhoidibus cruentis, haematuria; epistaxi, gingivis sanguinem pluentibus, imo et in haemoptoe laudatur.

9. *Alt-Prags.* Reliquis Pustrissae aquis soteriis superior fons in valle Pragsensi, jam per secula notus, pro aquarum mineralium gloria pugnat.

Magnas inter rupes calcareas cum strepitu haud exiguo suas provolvit aquas, saxa, supra quae fertur, crusta obducit polychroma, plerumque tamen subgrisea; tunc per centum passuum tractum in tubis ligneis ad Thermodochii pelvim conducitur. Ad originem aqua limpida, clara, dura, quasi ut hepar sulfuris nervos linguae ferit, odorem ovorum putrescentium praesefert, calefacta lactescit, ad vasorum, in quibus coquitur, parietes materiam albo-griseam deponit, pondere specifico omnes reliquas hujus circuli aquas superat.

Professoris Menghin experimenta chemica in ea gas hydrothionicum, terram absorbentem, sulfatem selenitis, salem amarum et quidquam ferri detexere. Osann et Karpe eam aquis sulfureis terroso-salinis adnumerant; quoad vires medicas inter potenter solventes pertinet, et in sequentibus morbis salutiferam actionem exercet. Sunt: impetigines cujuscumque generis, ulcera chronica; colluvies pituitosa primarum viarum; dolores rheumatici, arthritici, articulorum rigiditas, paralysis; viscerum abdominalium infarctus, scrofulae; ammenorrhaeae, hysteriasis, hypochondria, lythiasis; morbus venereus inveteratus. — Qua collutorium et gargarisma in stomacace, gingivarum adfectionibus scorbuticis; qua pulvis detersivus crusta in vasis deposita in infantium et adultorum cutis excoriationibus, in plagis et ulceribus fungosis adhibetur.

Quum ob partes constituentes gustui minus placet, nec a quolibet ventriculo perfertur, alio fonte pro potu utuntur.

Magnus aegrotantium concursus non solum ex omnibus Tirolis circulis, sed et ex vicino statu Venetorum famam hujus aquae medicatae magis magisque semper divulgat, quum inter 6-700, qui quotannis ad hunc fontem migrant, plurimi post breve tempus sani et laeti locum relinquunt, quem aegri et tristes ingressi erant.

10. *Erlach.* In Curatia Sancti Viti medios inter montes et sylvas Thermodochium recens exstructum usui fontis prospicit, qui jam ante plus quam centum annos vulgo innotuit.

Aëris puritas, regionis amoenitas, florum memoratu dignorum frequentia, coeli dulcedo, aquae pro potu inservientis, calce et ferro sulfurico praegnae bonitas, non parum ad curam conferunt, quam 130—150 advenae qualibet aestate mediante illa aqua minerali instituunt. Cujus vires nunc incitantes, irritantes, roborantes, nunc vero solventes, emollientes praedicarunt, prout experimenta chemica diversam inter componentium quantitatem relationem prodiderunt: continet autem terram calcaream, salem quemdam cubicum, aluminis parvam quantitatem, terram ferratam, cum gas acido carbonico et hydrothionico junctas.

Morborum grex, contra quam adhibetur, est: paresis, paralysis; musculorum et nervorum debilitas; rheumatismus et ipsa arthritis splanchnica; plures impetigines; menstruorum anomaliae, haemorrhoides, vulnera inveterata et ulcera; ex gravibus denique morbis, febribus putridis, biliosis et intermittentibus convalescentes hicce locorum vires amissas restauraturi commorantur.

11. *Wallbrunn.* Quodsi a Welsberg meridiem versus progrederis, domum novitus erectam, sat amplam conspicies, in qua aegri aquae soteriae vires partim se-

micupiis, partim illam bibendo experiuntur. Chemia antiqua ipsi quidquam sulfatis ferri adscribit, dum hodierno die juxta Doct. de Vogl ad aquas alumino-terrosas, ad mentem Prof. Karpe vero ad alcalino-terrosas numeranda venit.

Virtute gaudet roborante-adstringente, hinc, qui plagis ulceribusve, praecipue atonicis laborant, ea externe utuntur, dum qui primarum viarum debilitate, ictero, constipationibus, tussi chronica et viarum respirationis pituita detinentur, interno ejus usu curam tentant.

Numerus aegrorum ex annis tribus medius est = 177.

12. *Schartl.* Qui Antilopes cupricaprae ad instar per ardua saxa niti non abhorret, in monte Geisels fontem inveniet, ab *Alt-Rasen* 2 horis distantem, cui Knoering ferri aliquid nec non particulas aliquas sulfureas adscribit. Etiam Sirio ardente temperaturam valde humilem conservat, et a plebe tam interne quam externe contra impetigines praecipue et in stomachi debilitate adhibetur, neque desunt, qui dicant, nonnullas feminas, prius steriles, aetate jam provectiori post ejusdem usum concepisse.

13. *Bergfall.* Quam ad montis Geisels pedem in valle, montibus undique clausa, fons soterius aquam emittit, quoad partes minerales in ipsa contentas nonnisi ex scriptis doctoris Abmayr cognoscimus, cujus ad mentem finam terram calcaream, salem quemdam kalinum et sulfur purum continet; virtute distinguitur solvente.

Usus pro balneis tam frequens est, ut a 200-300 hospitibus quotannis adhibeatur, quos inter non pauci conditionis sublimioris quadrare solent, quum contra morbum, nobilioribus praecipue solemnem, Podagram, egregium sistit remedium: praeterea in arthritide, lumbagine et ischialgia bonos producit effectus.

Caeterum nil est, quod in hanc regionem peregrinos adliciat, quum neque natura, neque hominum industria hucusque quidquam pro advenarum voluptatibus fecerit.

14. *Antholz* = *Fons Salomonis.* Si quis circumstantias adversas animo pervolvat, quibuscum hujusce fontis existentia pugnandum habet; (paucos enim ante annos (1820) mons vicinus dehiscens Thermodochium secum in profundum abripere minitabatur; climatis asperitas, regio sterilis graciliores eminus tenet; omnibus, quibus pollet viribus, Aquilo quotidie vero terram percurrit; commoda vix ulla ibidem inveniuntur); si quis, dico, haec omnia perpenderit, nihilo tamen secius vero viderit, quotannis aegrotantium numerum ad ducentos et ultra accrescere, is revera persuasum sibi habebit, efficaciam non exiguam a natura in ipso fonte positam fuisse. Et mehercle! non solum feminae inquilinae, sed et ex longinquo advectae ordinis nobilioris plenis buccis ejus laudem canunt. Quippe quae diversissimis menstruorum vitiis, κατ' ἐξοχὴν autem *sterilitatis* opprobrio oppressae hicce locorum salutem et fertilitatem acquisiverunt, ut de *haemorrhoidibus*, aliisque morbis usu interno et externo sanatis taceam.

Aquarum soteriarum efficaciam non a chemicis earum particulis solis dependere, etiam hic videmus, quum in ista aqua, centenorum serie annorum nota, pura, limpida, saporis odorisque experti, frigida, ad bibendum grata, Chemia paucam solummodo quantitatem gas acidi carbonici, quidquam plus carbonatis calcis nonnullaque vestigia ferri sulfurici et natri sulfurici detexerit. In eadem valle Antholz notatur adhuc

15. *Das Stampfl* = *Gliederbad.* Pertinet ad aquas

alkalino-salinas sulfuricas (*Osann*), minus cognitas, quam minus frequenter quaerunt. Accolae vicini, gens humilis contra rheumatalgiam et dolores arthriticos eadem utitur.

Jungitur meridiem versus antecedenti

IV. *Praetura Ampitiensis.*

16. *Campo di sotto.* (*Der Goldbrunnen*) Quum ingruente hocce seculo in montium visceribus aurum quaererent, aquam invenerunt, a pago Cortina (*Ampezzo, Ampitium*) paululum distantem, quae parva sulfuris quantitate fecunda, quotannis a 30-40 aegris contra Psoram bono cum effectu tentatur.

Qui ab his aquis versus meridiem quidquam et occidentem progreditur, aliam invenit aquam sulfuream in

V. *Praetura Livinallongensi.*

17. *Colle di Santa Lucia.* In angustis montium faucibus, *Vallcate* dictis, per quas ad praeturae locum Livinallongum (*Buchenstein*) via conducit, penes rivum *Cordevole* aqua ex terrae sinu exsurgit, sat copiosa, ita ut et rotis circumagendis par esset. Ubi in lucem prodit, subito magnam limi, albido grisei et flavescentis, quantitatem deponit, qui hepar sulfuris redolens, siccatus etiam per longius temporis intervallum odorem istum conservat. — Aqua sapore admodum amaro, salso, ingrato gustus sensum offendit, pro potu adhiberi nequit.

Jos. de Vogl, qui primus eam chemicis subjecit experimentis, tam quoad contentas partes minerales, quam quoad proprietates physicas temperaturae gradus diffe-

rentia excepta, ac quoad virtutem maximam invenit analogiam inter eam et inter aquas limumque, quibus *Abano* superbit. — Ipse magnam liberi gas hydrothionici quantitatem, sulfatem sodae et salem quemdam medium amarum in ea reconditos invenit.

Hucusque nemo aquae istius curam ulteriorem gessit, nec ullum commodum aegrotantes ad se adlicit: soli, qui in vicinis degunt, et linguam italicam loquuntur, in vasis majoribus adlatis aquam pro balneis calefaciunt, et praecipue in *scabie* solatium inveniunt, quae in hac regione longe lateque inter gentem pauperam dominatur.

Progrediendo versus septentrionem exstat

VI. *Praetura Marubiensis.*

18. *Rumustlungs*, 6 horis ab urbe Brunopoli distans. Seculo elapso versus finem vergente, in valle *Wengensi* medias inter rupes et alpes, mulis vere unicis pervias, in situ sat tristi Thermodochium minus commodum, spurcitie infausta notatum, in passuum ducentorum a fonte distantia extructum fuit. Fons ipse, quidquam turbidus, ex terreno arenoso proveniens, odorem et gustum ovorum fracescentium praesefert, et jam a longinquo nares offendit; tubos, per quos ad balnearium dirigitur, crusta coloris cinerei cingit.

Analysis chemica in ista aqua multum gas sulfuris hydrogenati, terram calcaream puram, quidquam ferri cum selene, nec non parvam calcis sulfuricae quantitatem detexit.

Distinguitur virtute roborante et solvente, magnam per locos vicinos famam assequuta, inter efficacissimas Pustrissae aquas soterias numeratur; sed ex circumstan-

tiis adductis faciliter intelligitur, cur pauci solummodo, (vix centum singulis annis) accolae, stirpis italicae, ejus usum faciant.

Laudatur magnopere in nimia muci generatione, in viscerum abdominalium obstructionibus, in scrofulis; rheumatismo chronico, anchylosi; in malis venereis inveteratis, impetiginibus variis; unde et in tinea ad caput abluendum inservit; in hysteriasi, hypochondriasi; practici denique eandem ac remedium prophilacticum contra erysipelas et podagram decantant.

19. *Voll-Dunder.* Via equis potius, quam curris adibilis, in duarum a praetura Sti. Vigilii horarum distantia, ad aquam conducit, quam rupes calcaria ex suo sino profundit. Fons iste jam multis abhinc annis vulgo cognitus erat, ejusque usui, licet minus regulariter inserviebat. Rupium parietes insuper pendentes, quas uti et terram circumambientem materia flavo-rubescens (*Eisenocher*) tegit, pro tecto habebant, subque ejus tutela in vasis ex industria adlatis aqua, aut ibidem calefacta pro balneo, aut frigida pro cura interna utebantur, dum pro potu solito et pro cibis coquendis aliam aquam hauriebant: cibi enim altera cocti saporem nimis salsum adsumunt: noctem, reliquum diei tempus et prandium in vicino pago *Untermoi* peragere coacti erant. Paucos tandem ante annos medicus circularis de Vogl, qui indefesso in rebus medicis labore tanta sibi de circulo Pustrissae merita collegit, ejusdem aquae chimicum instituit examen, ex quo innotuit, soteriae aquae vires praecipue ex pauca gas acidi carbonici, majori acidi sulfurici ligati, majori adhuc calcis carbonicae et ex sulfatis ferri quantitate in ea contentis pendere.

Hodierno die numerus eam invisitantium magis ma-

gisque augetur, quum in Thermodochio ibidem erecto, jam ad ducentos usque quotannis numerantur.

Magno cum fructu in languore et pituita primarum viarum, in debilitate totius organismi, in irritabilitate et sensibilitate morbose adaucta, in humorum circulatione retardata, in haemorrhagiis passivis, in chlorosi aliisque malis applicatur.

VII. *Praetura Brunopolitana.*

20. *Rammwald*, ab urbe Brunopoli (*Bruneck*) horas tres, a fano Sti. Laurentii duas distans. Aditus praeclivis, ad has aquas soterias delicatulis aditum intercludit, montibus ascendendis magis adsuetos tamen adtrahit, qui ad fontem usque penetrantes, ejusque bonitate restaurati, oculorum, longe lateque vagantium voluptati optime indulgere possunt.

An nonne mirandum, quod in loco, jam anno 1700. cognito, (uti Knoering refert,) ne minima quidem pro advenientium commodis facta sint? — Sex vel octo cellae, ligno confectae, in domo aliqua, septentrionem versus aperta (!) pro balneis inserviunt, quin ne ad sexus quidem diversitatem respectus habeatur, ita ut linteis ex tempore expansis in dolia intrantes, aut ex iis recedentes reliquorum oculis subtrahi debeant. Nihilotamen secius 90–120 singulis annis illis aquis utuntur, quae duplici ex fonte emanant. Alter eorum aquam frigidam, puram, pro potu optimam, nonnil ferri cum sulfate magnesiae et gas acido carbonico continentem praestat; alter vero praeter materias jam adductas terram calcaream, coquendo praecipitandam et crustam griseam formantem exhibet.

Adnumerantur quidem aquis mineralibus terroso-alkalinis, sed accuratior adhuc analysis desideratur. — Rheumatalalgia et arthritide detenti ex iis malorum levamen hauriunt.

21. *Ilstern.* Territorium Sti. Sigismundi aquam includit, cui exigua sulfuris quantitas cum pauxillo terrae calcareae et alumineae adscribitur. Ruricolarum grex, nonnulli etiam ex oppidis advecti, 120—130 singula aestate, eandem in balneario nonnullas cellulas ligneas continente pro balneis contra mala rheumatica, arthritica, praecipue autem in haemorrhoidibus adhibent.

Septemtrionem versus priorem sequitur

VIII. *Praetura Taufersensis.*

22. *Weihbrun* = *Winkl.* In valle Taufers ex rupibus (*Granitfels*) duo fontes propullulant, qui auctumno versus finem vergente exarescunt, ingruente Majo vero iterum aquas suas effundunt, sese excipiunt, et ita uniti ad usum medicinalem in Thermodochium, multis gaudens commodis, diriguntur.

Juxta analyses Chimicas antiquiores scimus, aquas illas (caeteroquin crystallo clariores, limpidas, olfactum non ferientes, supra linguam stipticum producentes saporem) parva quantitate terrae calcariae impraegnatas esse, quod praeterea una quidquam sulfatis terrae argillaceae, altera vero kali nitriti partem contineat.

Locum suum inter aquas terroso-alkalinas, permanenter roborantes, leniter adstringentes sibi vindicant, praecipue hominibus fibrae irritabilioris, nervorum nimia sensibilitate donatis, infantibus, feminis, et ex morbo graviori convalescentibus potius quam aliae fortiores suadendae sunt.

Bibuntur frequenter ab illis, qui annorexia, debilitate primarum viarum, vitae plasticae processu, in genere ex debilitate alterato, laborant; semicupii forma in debilitate locali et generali praeplacet, unde praecipue a feminis in polypyote, in ephydrosi excedente; in plagis pedum inveteratis, praecipue autem in leucorrhoea, quae in hac valle quasi endemice regnat, foeminasque admodum molestat, magno cum emolumento frequenter in usum trahuntur.

Advenarum numerus annuus medius 150 - 200 et ultra aequat.

23. *Mühlbach.* Quam mons admodum proclivis recondit, ubi planities in vallem Taufers introitum praebet, aqua, alias frigidissima, arte calefacta adhibetur in debilitate organorum digerentium, aquis terrosis ferratis (*Karpe*) adnumeranda.

Thermodochium, quod 1 - 300 advenas sortis inferioris quotannis excipit, omnibus caret commodis, statum exhibet miserandum, neque aegrotis aliquid praestat, nisi quod focum communem pro cibis parandis concedat, et manipulos foeni, in alpibus collecti, iisdem lectorum loco porrigat. — Praeterea ventorum impetui omnibus ex partibus expositum est, nec tam raro accidit, quod hospites media quasi aestate, nivibus de repente undique advectis, asperae Nymphae solitudinem desolatam relinquere cogantur.

24. *Arzbach.* Haud exigua quantitas cupri, sulfure impraegnati quovis anno ex montibus *Vallis aureae* (*Ahrn*) effoditur, et igne intensissima liquefactum in pelvi multum ampla, aqua repleta refrigescendum colligitur. Hunc in finem aquam ex fluvulo Ach adhibent, quae dein tali modo calefacta portionem gas acidi hy-

drothionici absorbet, et postea ab hominibus vicinis; paucis solummodo, in variis impetiginum chronicarum speciebus, quas inter frequentissime contra psoram salutari modo in usum vocatur.

Praeturae Brunopolitanae occidentem versus adnectitur.

IX. *Practura Mühlbachensis.*

25. *Bachgart.* Ad montem Rodeneck, penes quasi introitum in vallem Pustrissam, in situ amoenissimo aqua scaturit, quae feminas undique advocat, quum tot earum ibidem salutem desideratam recuperassent. In cunctis morbis, sexui sequiori solemnibus, magnam sibi promeruit laudem, ut in variis menstruorum anomaliis, in *sterilitate*, hysteriasi etc., viri minore numero huc conveniunt, summa tamen Pustrissae inhabitantium, qui quotannis has aquas petunt, a 300 - 400 ascendit.

De aquae effectibus nemo est, qui dubitet, sed cuinam principio iidem sint adscribendi, adhuc sub judice lis est. Pharmacopola Beer Brixinae enim, nulla inesse principia mineralia contendit, quum alii (*Karpe*) eam aquam alkalino - terrosam esse asserunt.

In amplo thermodochio, plusquam centum hospites eodem tempore capiente, internus externusque ejus usus fit, et nobilia quidem Liaei dona dispenduntur, cibi vero ex pago Mühlbach adferri debent.

26. *Pfunders.* Specus, rupibus undique cincta, ex qua die noctuque Aeolus frigidos propellit ventos in valle Pfunders aquam emittit, frigidissimam, ita ut et aestivo tempore thermometrum R. eidem immissum gradum + 1,5 indicet. Nonnulli eadem in impetiginibus, ulceribusque inveteratis vario cum effectu utuntur: qui

vero, quum balnearium non nisi aliquot dolia pro balneis lignea praestet, in cubili foeni quietem nocturnam capere debent.

X. *Praetura Brixinensis.*

27. *Schalders.* Inter aquas ferratas salibus potiores adnumeratur et illa, quam in valle Schalders, montibus inclusa, ab urbe Brixina (*Brixen*, *Bressanone*) tres horas distantem invenimus; usui inservit tam externo quam interno; salutem quaerentium concursus haud parvus ejus virtutem roborantem, et solventem in variis primarum viarum morbis, in chlorosi, in menstruorum vitiis, hypochondriasi, hysteriasi etc. testatur.

Quas vires aqua a nonnullis salibus mediis cum pauxillo ferri in ista solutis repetit, ut antiquiores medici Brixinenses profitebantur. Aquae viribus vero adjungas opportet, quod ad salutem restituendam aeris puritas permultum conferat; hic enim incolae regionum meridionalium et praesertim Brixinenses lubenter morantur, quippe qui alias et aquae bonae penuria et caloris aestivi molestiis debilitantur. Anno 1834 ibidem 54 advenae aderant.

In thermodochio sat amplo cellae ligneae octaginta continent dolia, in quas aqua, per 300 pedum spatium in tubis ligneis adducta, et calefacta ingeritur.

28. *Burgstall.* Qui montes ascendere consuevit, intra horae unius spatium, licet via ardua sit, ab urbe Brixina ad fontem pervenit, in monte Sti. Leonhardi situatum, medias inter herbas aromaticas limpidam suam aquam fundentem. Licet temperaturae inferioris, numquam tamen congelatur; magno hospitum gaudet concursu (200 - 300 et ultra singulis annis).

Quoad analyses chimicas nil certi adhuc scimus, quum diversis aevis institutae, diversa dederunt resultata. Quodsi opusculum a Doct. Fischer conscriptum legas, juxta ejus experimenta, a. 1711 tentata continet *Salem nitrosum centralem* (?); medicus aevi posterioris Doct. de Payr Brixinensis, ipsi *analogice et virtualiter subtilem spiritum nitrosum* concedit, i. e. iisdem viribus instructam esse affert, « ut aquam subtili sp. nitri quasi aeris impraegnatam «. Nobis coaevi vero aut praesentiam partium mineralium omnino negant (*de Vogl*) aut aliquas terras et ferrum ipsi inesse contendunt (*Karpe*, *Osann*).

Non sine emolumento hunc confugiunt aegroti in tabe, asthmate; arthritici, rachitici, hydropici, apoplectici, paralytici; articulorum ankylosi, impetiginibus chronicis, scrofula, asthenia nervorum cum functionis cutaneae segnitie juncta, hypochondriasi, hysteriasi laborantes.

29. *Vahrn.* In regione sub mitiori caelo posita, amoenis circumdata nemoribus, ubi Ceres, Pomonae et Bachus albae Najadis (ut avunculi verbis utar) vires salutiferas coadjuvant, ibi Brixinae incolae, hora una distantes sese uniunt, ut aquae largiter fluentis dotibus restaurentur, quae a terris ferro unitis pendere videntur (*Karpe*).

Phtysici, asthmatici ibi solatium inveniunt, debilitate cujuscunque generis emaciati vires suas recuperant, ex typho, febribus nervosis, pneumoniis convalescentes salutis integritatem priorem citissime assequuntur.

XI. *Praetura Sterzingensis.*

30. *Moeders* trans Eisacum, in planitie, a Sterzing hucusque extensa, aqua provenit, quae licet omni adhuc analysi chemica careat, praxi tamen vicine habitantium qua antipsorica nomen aliquod sibi vindicavit.

In aliis quoque impetiginibus et ulceribus chronicis eandem in auxilium vocant, ipsaque pro balneis utuntur, postquam a pelvi majori ad Thernodochii culinam adducta, ibique calefacta est. Balnearii, 18 cameris instructi, suppellectilem et commoda non sine laude adducunt.

Aquarum mineralium agmen claudunt

31. *Aquae Brennenses.* (*Das Brennerbad*). Inter Tirolis aquas soterias memoratu dignissimas revera haecce pertinent, quae unicae temperatura tam elevata distinguuntur. En quomodo de Vogl earum positionem describit: In monte, dicit ille, qui tam ratione mineralogica et geologica quam geographica adeo notatu dignus excellit, in altissimo ferme viae publicae puncto, quae ex longinquo proficiscentem ex terris teutonicis in campos Hesperiae conducit, maris mediterranei superficiem 4481 ped. altitudine superante; in illa regione, cujus ex sinu duo scaturiunt fluvii, Eisacus scilicet, qui ab Athesi exceptus in mare adriaticum, et Silus, qui Oeno unitus in mare nigrum aquas suas effundit, ad confines ergo duplicis pelveos Oceani; ubi aenei agricolarum labores vix pares sunt Climati asperrimo ad avenae productionem cogendo; ubi Boreas perpetuo ululatu terras perflare amat — ibi natura mater anxiam aegrotantis spem elevans, non raro ejus desi-

derium, jam dudum fervido corde exoptatum, explet; quum medios inter montes gigantum adinstar undique ad altitudinem 6060 pedum sese elevantes, in intimo terrae sinu calefactas affluere jussit aquas, quae et hiemis frigore cuncta circumcirca congelante temperaturam altam conservant.

Juxta repetitas observationes ab eodem medico ad fontis originem institutas, aqua ad + 18 gr. Reaum. calida invenitur, usquedum autem ad locum pervenit, ubi pro balneis adhibetur, quasi quatuor caloris gradus deperdit, unde ibidem arte calefiat necesse est. — Calorem ejusdem antiquis temporibus altiorem fuisse referunt, cujus imminutionem terrae superinsidentis collapsum sequutae commixtioni cum aliarum aquarum undis et praecipue illius adscribunt, quae ad centum passus supra priorem ad + 3 1/2 gr. R. calida exsurgit, et partim pro potu inservit, partim vero magis magisque inter terras et saxa disparet, ubi dein alteri unitur. Anno praeterlapso fodinarum Halensium laboratores advocati fuerunt, ut, si fieri posset, aquas unitas iterum separarent.

Aqua prior calida, quidquam turbida, odoris expers, saporis paululum austeri, ad bibendum minus grata, a Doct. de Seltmann, nunc temporis medico circulari Antareolano, chemicis tentata experimentis, carbonatem et muriatem calcis, sulfates natri, calcis et magnesiae, quidquam carbonatis oxidi ferri, et gas acidi carbonici, terram denique siliceam prodidit.

Virtus principalis ejusdem solvens est, et morbi, in quos salutiferas suas vires dirigit, sequentes numerantur: Hepatis, lienis, mesenterii obstructiones, et in iis radicatae haemorrhoides; morbi apparatus uropoetici varii;

scrofulae, rheumatismus, arthritis, laxitas et debilitas partium adfectarum, ossium fracturas et luxationes insequuta; menstruorum retentiones, tandem impetigines chronicae.

Qui vero habitu phtysico, diathesi phlogistica, aut inflammatione organi nobilioris laborat, cui prae caeteris pulmones aegrotant, asthma insidiatur, quem *phtysis florida* correpit, is ab hoc climate asperrimo, ab isto aëre nimis puro, ab usu aquae Brennensis quam maxime caveat, ne pro salute sperata tombam praematuram ibidem inveniat!

Si breve temporis spatium consideres, quo coeli injuriae usum hujus aquae permittunt, quum a calendis circiter Juniis usque ad Septembris initium solummodo duret, mirandum revera est, quod tamen ad ducentos usque, non ex infima hominum classe, ibidem conveniant.

Thermodochia duo erecta sunt, quorum unum 16 cameris ornatum, necessario suppellectile instruitur, et pro ditiorum balneis inservit; alterum vero egenos, solvendo impares excipit, Sterzingae nosocomio appertinens. Pauperibus aegrotis praeterea, qui chartam ab ipsorum magistratibus signatam monstrant, ibidem gratis et habitatio patet, et balnea conceduntur; insuper cuilibet eorum portio salis culinaris pro curae tempore necessaria et nummus vigesimarius (L. A.) porrigitur, beneficium ab Equite Zacharia Geizkofler fundatum, qui dum Rudolphus II. comitatui nostro praeesset, primus in has aquas animum advertebat.

FINIS.

LITTERATURA.

1. Knoering, Franc. Xav. de, Doct. physic. Brunopolitani: Viaticum balneaticum. 1700.

2. Abmayr, Doct. Franc., Quo vadis amice? Botzen 1734.

3. Fischer, Doct., Das Bad Burgstall auf St. Leonhardsberg. Brixen 1773.

4. Crantz, H. I. de, Gesundbrunnen der östereichischen Kaiserstaaten. Wien. 1777.

5. Karpe, Doct. und Professor, im Bothen von und für Tirol und Vorarlberg Nro. 62. Innsbr. 1830.

6. Osann, Doct. E., Darstellung der bekannten Heilquellen der vorzüglichsten Laender Europas. Berlin 1832.

7. Vogl, Jos. de manuscripta.



THESES DEFENDENDÆ

I.

Aquarum soteriarum effectus non ex solis partibus mineralibus, in iisdem contentis, pendent.

II.

Aquae medicatae artefactae naturalibus longe postponendae sunt.

III.

Ad dignitatem systematis cujuscunque medici eruendam, id in relatione ad scientiam, ad rempublicam et ad genus humanum considerari debet.

IV.

Errores et vitia medicorum sunt agyrtarum firmissima fulcra.

V.

Experimenta in animalibus ad medicaminum effectus explorandos instituta, nil certi evincunt.

VI.

Somnia et deliria magnam in Semiologia sibi vindicant dignitatem.

VII.

Ad aegrorum idiosyncrasias, praecipue in morbis, quorum naturam non cognoscimus, pro therapia instituenda a medico respectus habeatur opportet.

VIII.

Formula simplex arti consulit, rarius aegro.

IX.

Medicus non omnes morbos sanare debet, quos sanare in ejus potestate esset.

X.

Non datur Iritis mercurialis.

XI.

Ulcera corneae aeque bene venaesectionibus ac stimulantibus curantur.

Corrigenda.

Pag. 10	*lin.* 27	*loco*:	sulfurem	*lege*	sulfur
12	17		quas		quae
14	21		quantitativam		qualitativam
18	22		*speeifice*		*specifice*
21	14		Praxensis		Pragsensis
24	12		cupricaprae		rupicaprae
28	11		curris		curribus
30	3		Rheumatalalgia		Rheumatalgia
—	23		calcariae		calcareae
33	2		cubili		cubile
—	20		54		511
34	19		Pomonae		Pomona